ALEXANDRI MASSARIAE MEDICI ET PHILOSOPHI BIOGRAFIA...

Olinto Grandesso Silvestri

ALEXANDRI MASSARIAE

MEDICI ET PHILOSOPHI

BIOGRAPHIA

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

IN PERVETUSTO AC CELEBERRIMO

GYMNASIO PATAVINO

EDIT

OLYNTHUS GRANDESSO-SILVESTRI

VICETINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846

VIRO

INTEGERRIMO SAPIENTISSIMO

CAJETANO REZZARA

AMORIS ET REVERENTIAE ERGO

OLYNTHUS GRANDESSO-SILVESTRI

ALEXANDRI MASSARIAE

BIOGRAPHIA

Alexander Massaria honestissimo loco (1) Vicetiae natus est. Errat enim Scotus et decipitur cl. Matteaccius qui illum marosticensem autumant, contra quam quod historici omnes et ipse auctor testatur: et omnino delirat Vander Linden, qui illum bononiensem (2), sive patavinum mavult (3). Quonam vero anno ortum duxerit silent plerique: nonnulli annum circa decimum supra millesimum quingentesimum eum natum fuisse, conjicientes, ut puto, gratis asserunt: mihi enim satis constat, ut infra patebit, ejus natalem anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto tribui debere (4). Ro-

(1) Fabius Pacius.

(2) V. Portal, *Hist. de l'anat. et chirur.*

(3) P. Angiolgabr. Calvi, *Biblioteca degli scrittori vicentini.*

(4) Enimvero ipse auctor ab initio libri sui *De morbo gallico*, qui inter ultima ejus opera jam ab aliquot annis profitentis recensendus esse videtur, *totos*, ait, 40 *annos*, *quibus medicinam facio*; quod neutiquam proferre illi licuisset, si eo, quem assignant biographi, anno natus fuisset, quum ante trigesimum an-

bustissimum corpus a natura nactus, hoc totum parandae sibi in omni genere scientiae ab ineunte usque aetate enixo studio addixit. Ita latinas graecasque litteras in patria satis edoctus a Jacobo Grypholo, illas accuratius Patavii excoluit Lazaro Bonamico bassaniensi percelebri tunc temporis humanioris litteraturae publico praeceptore usus. Posthaec philosophiam et medicinam sequutus, in logicis Tomitani, in ordinaria philosophia Genuae (1), in extraordinaria Alberti, in metaphysicis Bargii, Oddi Senioris in theorica medicina, in practica Fracantiani (2), in anatome et chirurgia Falloppii auditor magnas sibi scientiarum opes comparavit, quibus ut philosophiae et medicinae laurea donaretur dignus habitus est. Doctor medicinam facturus in patriam se

num lauream retulisse ipse perhibeat. Pluries praeterea in libris *De peste* mentionem faciens hujus infortunii annis 1527-28 Italiam depopulantis, addit *quod patres nostri referunt*; quorum auctoritate minus indiguisset, si decem et septem jam annos natus, minimeque infans trimus illam videre et testari potuisset.

(1) Perperam: « il fit sa logique à Gènes sous Tomitanus » scribit Portal loc. cit.

(2) Antonius Fracantianus nob. vicetinus philos. et medic. doctor logicam primo, postea medicinam theoricam et demum practicam an. 1546 in Gymnasio patavino professus est tanta doctrinae fama, ut eum bononiense Gymnasium inter suos exoptaverit, oblatoque amplissimo stipendio ad primas medicinae exedras attraxerit, qui deinde iterum Patavium revocatus decessit. En vides iterum quod si 1510 natus esset Massaria, Fracantiano aliisque nonnullis inter recensitos professores, uti institutoribus nequivisset.

recepit *ante* xxx *annum* (1) aetatis suae, ibique inter Academicos olympicos statim cooptatus, Andriam Pub. Terentii comoediam, quam e latino in italum verterat idioma, agendam dedit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo (2): nec non incerto postea tempore *Alexandrum* italo sermone tragoediam ab illo compositam (3). Sed quum illi litterarum cultus non adeo cordi fuerit quam scientiarum omnium et medicinae praesertim, haec opera aut juvenilium fructum studiorum, aut relaxandi animi gratia suscepta fuisse arbitror. Aliae enim postmodo in Academia curae, aliique labores: modo nempe Aristotelis Meteora explanans, modo anatomen magna sua cum laude ac prope incredibili Academicorum omnium cum admiratione (4) demonstrans in aedibus Academiae theatrum anatomicum brevi post adaperuit. Nec minori interea cum felicitate medicinam exercenti, sapientissimi philosophi, speculativi meteoristae, accuratissimi anatomici et medici experientissimi (5) aestimationem assequuto Medicorum Collegium in patria instituendi facultas facta est: cujus in institutione, anno scilicet 1563, inauguralem orationem nunc deperditam habuit (6). Ita laude opibusque refertus uxorem duxit ex nobilissima vicetina

(1) Massaria *Praef. Apolog.* c. I.

(2) *Atti mss. dell'Accad. olimp.*

(3) Arnaldi, *Idea d'un teatro.*

(4) Riccoboni, *Gymnas. Patav.* Lib. III. c. 32.

(5) Ab. Ghilini.

(6) Castellini.

domo Angiolella (1), ut quid illius gloriae aut felicitati deesset non videretur. Verum novos interea labores, teterrimosque tum publicos tum domesticos luctus calamitosa illa tempestas, quam aggredior, et funeribus contristata domus parabat. Namque anno 1576 Tridenti primo, mox passim per urbes Patavium, Mantuam, Mediolanum, Venetias perniciosissimi morbi vagari coeperunt, quos nimis forte propinqua Vicetia vitare non potuit. Reapse decembri ejusdem anni homo quidam biduo defunctus est, cujus cetera familia ineunte anno brevi cita morte deleta est. Quod quum gravem injecisset suspicionem, investigantibus patuit nebulonem illum hominem vestimenta quaedam lanea et linea asportavisse Patavio. Interim sequenti mense sub initio Francischina quaedam, quae prope sitam incolebat domum, intra sex dies ignoto morbo interempta est. Qua re nunciata, Magistratus, ut publicae consuleret saluti, negotium commisit Massariae. « Ipse, inquit auctor, cadavere diligenter inspecto, manifestum et ingentem bubonem in inguine deprehendi. Itaque me auctore universis in ea domo existentibus interdictum est, ne illis cum aliquo esset ullus commercio locus ». Optimo quidem consilio nisi sero nimis fuisset initum; nam biduo post Antonius ejusdem puellae frater morbo correptus quarto die obiit, ac « statim fere laborare coepit Angela altera *soror* febre, dolore capitis, siti maxima, ac aliis

(1) Fabius Pacius ex uxore nepos Alexandri Massariae filius fuit Lucretiae Angiolellae (V. vitam Fab. Pacii P. Calvi).

hujusmodi gravibus symptomatibus: tum vero quod biduo post coepit erumpere bubo in inguine dextero satis insignis, coloris ferme naturalis, sed maximo cum dolore. Ego a patribus rogatus .... Angelae aegrotantis .... haud gravate curam suscepi, partim quod charitatis et humanitatis officium id postularet », partim quod propius inspiciendi obveniendique ignoto penitus morbo laudabili alliceretur cupiditate. Cujus tractationem aegrotae, non ingratum lectoribus futurum esse arbitror, si ipsis auctoris verbis referam. « Angelae protinus secta vena jecoris missus fuit sanguis ad unc. decem. Ad leniendum dolorem bubonis, laxandumque locum, ut natura facilius omne virus eo transmittere posset adhibitae sunt oleorum amygdalarum dulc. rec. p. iij chamaemelini, pinguedinis gallinae rec. an. p. j misc. quibus locum assidue foveri jussimus. Hic morbi fuit dies tertius. Quae sequuta est nox laboriosa fuit, et omnino insomnis: mane sequenti perseverabant omnia mala, febris, dolor capitis et bubo in primis grandior factus fuerat: lotia crassissima erant et subalbida: alvus non dejecerat: illa tamen adhuc mente constabat, et quantum conjectura assequi licuit, viribus quoque satis valebat. Itaque hoc illi institutum est medicamentum. Rec. flor. cassiae n. ex. drach. X, scordii pulv. sp. diarhodon an. scrup. j misc. quod moderatam evacuationem leniter perfecit. Nox subsequens tranquillior et omni ex parte levior fuit, ut hoc tempore equidem aliquam salutis spem, laetus animo jam conciperem. Mox singulis

diebus summo mane illa assumebat hujusmodi medicamentum. Rec. cons. borraginis, acetosae an. drach. j scordii pulv. sem. citri mund. an. scrup. s. misc.; tum protinus decoctum ebibebat ad unc. octo ex cichorio, melissa, quinquefolio, sem. citri. Praeterea illi quotidie mollia imponebantur clystenia. Quoniam vero, quod maxime expetendum fuerat, bubo tum dolore assiduo, moleque valde notabili, tum aliis conjecturis aliquam suppurationem polliceri videbatur, cataplasma illi nos apponendum curavimus ex malva, althaea, rad. liliorum alb. farina triticea, ol. amygdalarum dulc. liliorum alb. viperino: quod tamen frustra factum est: siquidem contra mox tumor sensim coepit imminui, et manifesto dissolvi. Die septimo tum febris, tum omnia symptomata valde remissa sunt, ita quidem ut rebus in dies magis prospere progredientibus Angela singulari Dei opt. max. beneficio, die quartodecimo febre, bubone, aliis symptomatibus, et omni malo immunis reddita fuerit. Huic aegrotanti panis ex jure coctus, mane ovum sorbile, pro potu jus endivia et sem. citri praeparatum, praeterea nihil totis quatuordecim diebus exhibitum fuit». Interim morbi natura contagiosa indubie comperta, statutum a patribus est ut omnes, quotquot morbo afficiebantur, extra urbem transque fluentum in *lazaretum* deferrentur; aliique, qui illis familiariter antea utebantur, in Campo Martio exstructis domunculis ligneis per aliquod tempus detinerentur, combusta universa supellectile, lustratisque lavacris et suffitis, ac

calce expiatis domibus. Verum morbus in dies grandior factus, vastasque strages edens appropinquante aestate plerosque ut propriae consulerent saluti fugam capere impulerat, invisamque propemodum et periculis plenam relinquere patriam. Cui ut obessent patres, interdictum est ne quis citra licentiam discederet, praefeceruntque sexaginta quatuor viros, binos singulo urbis vico, qui mane antequam exirent incolae, domus inviserent, ut si quem aegrotantem comperissent, medicis, quatuor ad id secunda quaque hebdomada deputatis, denunciarent; quod institutum septembri mense haberi coeptum est. Atque inter primos, queis formidolosum committeretur munus, fuit Massaria; qui quamvis assiduis laboribus, foedaque et miserabili urbis clade vires animumque infractus praegresso mense febre tertiana continua (1) laboraverat, pium in patriam onus et discrimine plenum suscipere nequidquam veritus est. Cujus si saevi morbi faciem aliquis agnoscere cupiat, ipsum audiat disserentem auctorem. « Jam vero morbi et symptomata (ut neque illud praetermittatur) quae hujusmodi aegros comitari solent, varia plane et multiplicia esse videntur: quantum autem partim ex aliorum, partim ex propria observatione consequi mihi licuit, haec ferme afferri possunt. Omnes propemodum febre laborant, quamvis dissimiles sint febres, ac inter se maxime diversae: eas tamen perpetuo ex genere continuarum esse existimo: plerique vehementi dolore

(1) Massaria, *De peste*.

capitis cruciantur: nonnulli delirio: alii vigiliis: quidam profundo somno laborant: multi fastidioso vomitu, nausea, inappetentia, siti male afficiuntur: alvus fere suppressa: lotia prorsus varia, inter se dissimilia ac saepe contraria: quamquam majori ex parte illa insigniter crassa, turbata, et corrupta esse facile animadvertimus. De pulsibus non habeo quid certi statuam, quandoquidem nemini unquam illum explorare sum ausus; sed quantum alii hac in re magis audaces, ne dicam temerarii referunt, pulsus pariter, quod fere ad omnes eorum differentias pertinet, saepenumero sunt invicem dispares, et vehementer diversi. Plerisque solent accidere papulae, quas peticulas vocant, bubones, parotides, carbunculi, atque alii hujusmodi tumores, si modo illorum numerum, magnitudinem, colorem, formam, apparitionem, terminationem, et demum partes corporis consideres, inter se plane differentes. Contra vero neque alii quidam defuerunt, quibus vel adhuc viventibus, vel postea mortuis ne ullam quidem maculam, aut aliud malignioris morbi vestigium exterius apparuisse compertum est. In universum autem (id quod multa et accurata observatione hic plerique animadvertimus) omnes propriam et naturalem effigiem exuisse videntur, faciem nescio quam horribilem assumentes, ut vix illos agnoscere possis. Ceterum illi majori ex parte moriebantur, ac brevi admodum tempore die primo, secundo, tertio, quarto, paucos certe septimum praeteriisse existimo. Et quamquam nonnulli impune

cum hujusmodi aegrotis etiam familiariter, ac diu versati sunt, plerique tamen etiam levissimo cum illis habito usu, et commercio hanc adversam fortunam evitare non potuerunt, ut universae vel numerosae familiae mirandum in modum misere extinctae et penitus deletae fuerint. Quo demum loco illud minime silentio praetereundum videtur, hujusmodi morbos, adeoque mortem ipsam non in alios saevisse praeter quam in infimam, et miseram plebeculam, adeo ut apud nos vix decem viri obierint, quorum aliqua notabilis extaret conditio». Tanta autem fuit strages, terror et fuga civium, ut « quum praeteritis optimis temporibus opulentissima civitas alere solita fuerit triginta circiter hominum millia, ex descriptione antea diligenter facta, hoc gravissimo tempore in urbe et vicis non plures reperti sunt novem millibus, octingentis quadraginta sex ». Tanta in rerum perturbatione, desperatis animis devictaque omnium virtute ita jubente magistratu salubritatis urbis munus medicum penitus creditum est Massariae (1). Cujus non sine consilio et opere compositis tandem rebus, hujus infortunii medicam historiam conscribere coepit; quam duobus libris complexus est.

Jamque *annos quinque et viginti* (2) in patria commoratus tanto nominis splendore et virtutum laude, tandem ab amicis patronisque suis invitatus, et jubente principe (3) Venetias se contulit anno 1578 eo libentius, ut ibi commodius et splendidius quae eleganter

(1) Massar., *De peste*. (2) Riccob. l. cit. (3) P. Calvi.

conscripserat edere posset. Ibique « incredibili prorsus felicitate, ingentique cum lucro (1) praxim exercens *dici non potest quantum cursum, quantumque progressum fecerit ad nominis celebritatem summaeque excellentiae gloriam* (2) *ita, ut summa apud omnes amplissimae urbis ordines in veneratione habitus* » (3) esset. Sequenti anno luculentissimos libros suos *De peste* edidit, in quibus minime epidemicam, verum contagiosam esse, contra quam quod senserat Mercurialis contendit, tantaque mentis acie contagii naturam eruit atque evolvit, ut nil propemodum de hoc desiderandum relinquat. Quorum lubet sequentia testimonia referre. Scribit Dudithius Vincislao Raphano medico: « Aveo tuum judicium cognoscere de Massaria, atque illius libro De peste; quem invitus patior a mea bibliotheca abesse; ita mihi visus est elegans esse et bene rem examinare. Si eum librum tuus librarius isthic habet, eme mihi quovis pretio » (4). Et comes Montanus vicetinus: « Aureus, inquit, De peste tractatus est editus ab Alexandro Massaria, patriae nostrae lumine et ornamento, in quo pestis natura verissime atque elegantissime describitur: quod hactenus ab alio nemine factum est (5) ». Tandem Foderè (6) ad men-

(1) Comn. Papadopoli, *Hist. Gymn. Pat.*

(2) Riccob. l. cit.

(3) Tommasinus.

(4) Ex T. III. Cons. et Epist. Jo. Cratonis.

(5) De morb. ex Galen. sententia lib. III.

(6) Dict. des Sciences medic.

tem valde momentosus liber est, utpote in quo primum pestis notio nitida tradita fuerit.

His fulgentem virtutibus clarumque doctrina, ac diuturna et felici curatione morborum senatus venetus Mercuriali, cui fecerat potestatem abeundi Bononiam, III. id. octob. anno 1587 (1) successorem dedit octingentorum florenorum stipendio, aucto subinde ad millenos, in prima sede medicinae practicae ordinariae: frustra illam affectante amicorum officiis et patronorum ope Jacobo Scutellario imperatoris medico: frustraque conante pro Hieronymo Capivaccio natione germanica; quem, quamvis in ea sede a triumviris litterariis signatum, posthabendum existimavit senatus Massariae, pro quo praxis medicae gloria nota Venetiis perorabat: quod quidem aegerrime tulit Capivaccius, qui tum secundam obtinebat exedram. Idque procul dubio mirabile fuit, quod quum caeteri omnes solerent diu docendo operam dare ut ab inferioribus sedibus ad superiores procederent, is ad primam sedem nusquam professus subito evectus sit. Qui docendi munus antequam aggrederetur, magno litteratorum hominum concursu orationem habuit, qua suam de rebus medicis patefaceret mentem: nempe rerum omnium novatoribus primo acriter insectatis, Arabes cum Graecis comparabat, hosque illis, praecipueque Hippocratem et Galenum magnopere anteferebat.

Quantum vero latinam linguam calleret statim in

(1) Facciolati, *Fasti Gymn. Pat.*

docendo enituit; non enim ejus elocutione aut purius, aut rotundius, aut spinosum quidquam minus esse videbatur: enituit quantum in re medica praestaret, quod cum collega confirmatae jam auctoritatis et gloriae Hieronymo Capivaccio parem sibi statim comparaverit auctoritatem, auditorumque frequentiam. Quorum ea illico fuit sententia, nec ejus eruditione quidquam locupletius, nec ejus copia plenius, nec ejus mente luculentius aut firmius dari posse: mirum! quandoquidem eousque Mercuriali, maximo viro, institutore fuerant usi. Quos ut penitiùs medicinae faciendae arte instrueret, nosodochium D. Francisci per omne tempus a revocatis studiis usque ad sanctum Pascha interjectum, magno auditorum doctorumque comitatu, quotidie adire instituit, atque innumeros propemodum ibi languentes aegrotos invisere, et medica opera et consilio adjuvare: nec non insignem aliquem eligere morbum, de quo die praestituta nonnulli de provectioribus auditoribus suis aut nuper doctores facti publice dissererent, atque ipse *tanquam doctor doctorum*, quae bene fuerant disputata probaret, quae male rejiceret atque emendaret. «Quod utilissimum ejus institutum perpetuo retinendum atque ad posteros propagandum, singulare sine dubio humano generi beneficium, ejusque auctori gloriam sempiternam» (1) afferre non erit qui inficiatum iri velit. Quod nihilominus exercendae clinices si quod aliud perfectissimum exemplum historici aliqui aut

(1) Riccob. l. cit.

ignari, aut consulto, probroso silentio praeterierunt. Atqui hoc quoque nobilissimum medicinam docendi inventum, sicuti plurima alia, Italia a barbaris mutuavisse ferebatur. Qua in re quantum meruerit Massaria scire liceat: etenim si qua feruntur ante illum exempla clinices exercendae, haec aut longa vetustate jam et oblivione ab hominum mentibus effluxerant, aut rudia admodum et imperfecta conamina ille ignoravisse credendus est (1). Non enim unquam, dum ipse Patavii versaretur, facta fuisse reperio, ita ut temere facere mihi non videar si Massariam aequa cum rerum inventoribus laude conferam atque concelebrem. Quod exercitium quam recte, et omni ex parte absolute ab eo fieret jam ex supra expositis patet, clariusque patebit omnibus, quicumque ejus librum *De consultandi ratione* pervolverint.

Tam magnam his omnibus celebritatem per universam Italiam assequutus erat, ut febribus quibusdam perniciosis ibi grassantibus anno 1589, utinensis urbs illum consuluerit, qua de re publicam habuit disputationem cum Capivaccio (2). Nec non quum anno 1591 febres perniciosissimae Pisaurum totamque vastarent regionem, dux Urbini Patavium ea de re consultatum misit: quo in negotio quinque praecipui Gymnasii me-

(1) Nondum enim Gymnasii Patav. habebantur Commentarii, quos conscribendos Massariae hortatibus aggressus est Riccobonus anno 1596.

(2) Massaria, Disput. II. Apolog. lib. 1. c. 1.

dici adhibiti fuerunt, inter quos Massaria practicus ordinarius. Quorum Hercules Saxonia quum theriacae usum et vesicantium proposuisset; omnium sententia theriaca, Massariae et Bottoni mente vesicantia quoque reprobata fuerunt. Saxonia vero ut suas tueretur indicationes disputationem hoc circa evulgavit, quam contra Massaria suam *De abusu medicamentorum vesicantium et theriacae in febribus pestilentibus* disputationem edidit: cui sequenti anno quum rescripsisset Saxonia libris tribus de Phoenigmis, iteravit Massaria disputationem secundam apologeticam ad libros Saxoniae (1593) evulgando. Obmutuit in posterum Saxonia; iisque disputationibus tanta fides habita est, ut longum posthac tempus vesicantium propemodum obsoleverit usus. Injuria, ut inquit Portal; etenim Saxoniae libri repetitis observationibus innituntur, dum Massariae disputationes, posthabita experientia, eruditione tantum pollent. Verum tanta erat hujus auctoritas, ut citra veritatem, obfusis tenebris hominum mentes praevertere posset. Nec minus acriter decertatum est cum Horatio Augenio.

Jam a primis annis, ex quo medicinam facere susceperat Alexander, operis cujusdam sui, de quo mox loquemur, ideam conceperat, quam postea longum digestam, collatamque cum suis institutoribus artisque peritis Curtio, Frigimelica, Fracantiano, Montano, Paterno, tandem exaratam publici juris fecerat anno 1588 sub nomine *Disputationes duae, quarum pri-*

ma de scopis mittendi sanguinem, altera de purgatione in principio morborum. Atque in illa paullo acerbius invehitur in Augenium, qui accuratissimos jam antea Commentarios de mittendo sanguine ediderat, quum ejus explicationem in quemdam Galeni locum ab hujus mente alienam, et omnino absurdam esse contendat. Verum nova et intima inter eos intercesserat amicitia, sanctissimeque colenda necessitudo ex quo Augenius Patavii profiteri coepit. Anno autem 1597 inopinato Augenii novae disputationes editae sunt, quibus suam propugnabat sententiam, nec maledictis parcebat in Massariam.

Non potuit hic animos temperare (quamvis tempus altercationibus terere maximo semper odio fuerit prosequutus) quin suum librum atque se ipsum coram hominibus purgaret; idque fecit suam de scopis mittendi sanguinem disputationem cum additamento apologetico sequenti anno novitus evulgando tanto cum rerum eventu, ut viribus animoque attritus paucos post annos decessit Augenius (1). Cujus operis sane praeclari et eximii sententiam ferentem audiamus Portal: «Son traité de la saignée est un chef d'œuvre: l'auteur y à disputé très savamment les cas où elle convient, et les cas où elle est nuisible. Les temoignages les plus authentiques et l'observation servent de preuve a son raisonnemet. Cet ouvrage devoit faire tomber celui de Botal; mais pur une fatalité déplorable, les mauvais

(1) Papad. Op. cit.

auteurs ont plus de sectateurs que les bons ». Qui annus, nempe 1598, postremus ejus vitae exstitit; namque XV. Kal. novembris subita morte sub noctem *magno studiosorum moerore* (1) obiit.

Vir fuit elato animo, acrique et praefervido ingenio, validisque viribus usque ad mortem perstans. Qui biennio antequam moreretur, discipulum, quem semel atque iterum se publice disserente obstrepentem exprobaverat, ab schola exiens, baculo e lignorum strue, in quam forte offenderat, arrepto, admirabili probe animadversione strenue multavit. Principatum cunctis in rebus suis appetebat, ut quum docendi munus ei collatum est, nunquam alium, quotuscumque fuisset ei assignatus, nisi primum accepisset locum: verum nunquam minora, quam quae polliceretur, praestitit. Et revera tantam ex hoc sibi apud collegas et Universitatem omnem acquisivit auctoritatem, ut quum nobilissimus juvenis Matthaeus Jacobus Ripensis syndicus doctoris laurea decoraretur, haec honoris erga a Massaria illi collata est: nec non quum itali artistae in juristarum V. rectorem Davidem Placotomum Dantiscanum Borussum elegissent, hic aeque stolam accepit *ab excellentissimo Massaria in aedibus suis* (2). Galenum tantopere venerabatur, ut malle se cum eo errare, quam cum novatoribus vera sectari dictitaret: non tamen eo quod errores quoque divini hominis coleret, sed « veritatis causa id facere, qui enim istis videtur error, me-

(1) Tommas. lib. 4. (2) Tommas. lib. 4.

ram esse veritatem» (1) arbitrabatur. Ceterum ratione et experientia medicinam fieri rebatur, quod ipse non semel contendit, «ut qui ratione ac methodo proprium finem consequi student, rationales medici ac dogmatici nuncupentur, quorum (ait) nos disciplinam profitemur» (2). Atque quam recte de morbo ac de instituenda cura sentiret, sequens patefacit locus: «Symptomata propriam non praebent indicationem nisi raro et per accidens: per se enim cum morbum sequantur, veluti umbra corpus, ad morbi sublationem, ipsa quoque evanescunt: verumtamen per accidens, ut cum illa causae rationem habent vel morbum augentis, vel vires prosternentis propriam requirunt curationem» (3). Quoad vero remediorum usum, miram optare simplicitatem mos illi perpetuo fuit; quomodo ex sequentibus patebit: «Hoc loco illos praetereo, qui frequenter utuntur electuariis .... quibus nunquam nos utimur, nisi inviti, si desint simplicia medicamenta». Et alibi de tryphera persica composito Arabum remedio agens: «Unde cum simplicibus (inquit) multo paucioribus, et facilioribus hoc ipsum consequi nobis liceat, temere et frustra ad ea, quae difficultate et confusione non carent, confugere nos videmur» (4). Quod mirabile magis est quandoquidem in polypharmaco illo saeculo composita medicamenta quotidiano omnino et universali in usu erant. Magnanimus, liberalis, comis amicitiam sancte

(1) Riccob. loc. cit. (2) Massar., *Pract. med.* lib. 10.
(3) Massar. l. cit. (4) Idem.

colebat. Aedes suas multo tapetium, multo peristromatum ornaverat magnificentissime, quas suis amicis, doctis viris, et bonis omnibus usque patere voluit, qui frequentissimi apud illum diversabantur, et quibuscum divitias suas munificenter communicabat. Inerat autem viro maxima liberalitas: hac splendide in magnates, nulla mercede in pauperes artem profitebatur: immo si quem egere civem compererat, hunc ultro opibus suis adjuvabat. Quaque praeterea sexta hebdomadae die pauperibus centum erogare panem: nec minus sexta majoris hebdomadae feria et in pervigilio Natalis Christi egenos duodecim lautissimo excipere prandio, donatosque certa pecunia dimittere solitus est. Demum praediorum suorum novo prorsus exemplo sepes auferri jusserat, ut nulli omnino hominum sua bona interdicerentur. Qui tantus vir, nefas! nullo posito lapide in Antoniana basilica humatus est.

OPERUM CATALOGUS

De peste, Lib. 2. Venetiis apud Altobellum Silicatum 1580.

Disputationes duae, quarum prima de scopis mittendi sanguinem tum generaliter, tum speciatim in febribus: altera de purgatione in principio morborum. Venetiis apud Franciscum de Franciscis 1588: primam autem cum *Additamento apologetico* iterum edidit auctor Vicetiae apud Georgium Graecum 1589.

De abusu medicamentorum vesicantium et theriacae in febribus pestilentibus, Disputatio. Patavii apud Paulum Mejettum 1591: cui addidit eodem titulo *Disputationem secundam apologeticam ad libros Herculis Saxoniae de Phoenigmis*. Vicetiae apud Georgium Graecum 1593.

Praelectiones de morbis mulierum, conceptus et partus. Lipsiae apud Abrahamum Lambergum 1600. A discipulis collectum opus creditur.

Practica medica edita a D. Joanne Baumanno. Francofurti apud Nicolaum Bassaeum 1601. Undecies editum opus fuit, cujus cum laude meminit Franciscus Torti mutinensis.

Liber responsorum et consultationum medicinalium. Venetiis apud Trivisanum Bartholottum 1613.

Dell'arte di cavalleria. Venezia 1600.

De modo equos fraenandi. Venetiis 1607.

826

THESES

I.

Arteriarum extremitates in venarum radices indesinenter abeunt.

II.

Ratione et experientia medicina fit.

Massaria.

III.

Systemata, quotquot exstructa fuere, boni aliquid medicinae contulerunt.

IV.

Etsi compluribus morbis specifici aliquid insit, plerumque tamen medico nonnisi diathesim corrigere facultas tuto est.

V.

Symptomata propriam non praebent indicationem nisi raro.

Massaria.

VI.

Quum simplicibus remediis idem consequi liceat, temere ad composita confugere nos videmur.

Massaria.

VII.

Injectiones antiblenorrhoicae, quatenus morbum devincere valent, coarctationes urethrales praecavent.

DE

SERVANDA SANITATE.